



F<sup>ran</sup>cus ex antiquissimis Boiorum regibus originē duxit, atq<sup>ue</sup> Hiccarī, viri fortissimi, filius fuit. Is in Germania apud Celtas regnare cœpit, anno post diluvium millesimo centesimo tricesimo sexto, anno uero creationis mundi, bis millesimo septingentesimo nonagesimotertio, eo nimirum tempore cum Troia iam à Græcis esset capta, atq<sup>ue</sup> Booz Israelitarum Iudex Ruth uxorem ducebat. Franco itaq<sup>ue</sup> regnum à maioribus acceptū, magna prudentia & fortitudine administravit, atque Francorum genti Germaniæ fortissimæ nomē dedit. Est autem nomen illud frequēs in antiquis fastis, atq<sup>ue</sup> à libertate, quā nos Freyheit vocamus, deductū fuit. Vnde adhuc Francos Oriētales, uulgo liberos Francos nostra lingua appellamus. Fuerūt ex scriptorib. aliq. qui Francorū originē à Troianis deduxere, decepti Hectoris Troiani nomine, cuius filium Franconē esse putarunt: Is enim nō Troianus, uerū Hiccarī Boj filius extitit. Decepti uero in eo sunt, quod Hector & Hiccar fuerint coæui, atq<sup>ue</sup> hic Franco statim post bellum Trojanum regnare cœperit. Vnde à Francone numerantur ad Tarquinium Priscum, regem Romanorum, anni quingenti quinquaginta sex, quo tempore Boj iterum bello clari apud exterios innotescere cœperunt, cum post Franconis obitum diu suis rebus contenti fuissent. Hæc Francorum gens postea Rheno superato, Galliam inuasit, & totum illud regnum deuicit, atque à se Franciam nominauit. id quod postea suo loco explicabitur, Manetho,